perfectio, quæ, ne obſit ſaluti noſtræ, penſanda eſt per imputatam Chriſti juſtitiam, fide nobis applicandam. Obſtas, Apoſtolum in laudato capite VII. ad Rom. non loqui de ſemetipſo; verum aliam hominis cujusdam irregeniti perſonam ſiſtere. Regero, id ſtatuere nihil eſſe aliud, quam adverſus ſolem loqui. Obloquitur nimirum ita ſentientibus Apoſtolus, toties vocabulum, ſui ipſius demonſtrativum, EGO adhibens, ac verſu tandem ultimo IPSE EGO proclamans. Atque ita de ſcandalo ſui ipſius, quo ſe ἐν πλοῖς πλαίονται, ſeque acerrimum ſui ipſius oſorem ac adverſarium deprehendat, conqueritur.

§. 5. Obſtas denique, Apoſtolum in ſtatu fidei triumphativô vixiſſe; unde igitur tanta in eo contra ſeipſum repugnantia? unde tanta poſt obtentam jam victoriam pugna? Reſtat, ut de ſeſe, non tanquam regenitô, verum aut irregenito, aut, quod alii cenſent, ſemiregenito, & ad regenerationem tendente, vin' didactice exprimam? de regeneratione ſua in fieri, non in facto eſſe, locutus exiſtimetur. Regerere lubet ad hanc objectionem ſequentia: Cum, docente Auguſtino, hæc vera ſit regeneratorum perfectio, ſi ſe imperfectos eſſe agnoſcant; ecquid, amabo, mirum, ſi vel Paulus tam imperfectam perfectionem & inchoatam modo ſanctificationem de ſeſe ingenuè profiteatur? Vixitne ergo Apoſtolus renatus in ſtatu fidei triumphativô? Ita tamen continuô gaviſus eſt triumpho, quoad renatus vixit, ut etiam continua exerceretur luctâ, triumphum ſine lucta & cororam juſtitiæ non niſi poſt hanc vitam expectans, 2. Tim. IV. 7, 8. Cæterum de ſemetipſo, tanquam ſemi-regenitô, ut ſic dicam, aut ut in viâ regenerationis exiſtente, nolim exiſtimare eum hoc in capite locutum, idq; non tantum eo, quod Apoſtolus tum, cum hæc ad Romanos ſcripta daret, jam anteà plenè fuerit converſus & regeneratus (id quod inficias ire neminem puto) ſed & eò, quod ſemi-regenitus lege Dei ſecundum interiorem hominem delectari, & ita mente ſive ſpiritu legi Dei ſervire nequeat;